



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

§. LXVIII. Dictorum Epilogus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

per omnem æternitatem tui amore destitutum) sed quid est, cur etiam pœnæ gratiam mihi facias?

§. LXVIII.

Dictorum Epilogus.

HAc tam multiplici rigidè se habendi ratione P. Paulus sibi comparavit thesaurum rectè meritorum ingentem, nobis autem præclarorum exemplorum insignem apparatus reliquit. His modis carnem, quam diu vixit, subegit; animo verò vitam quodammodo reddidit. His ipsius custodivit semper, & auxit suas virtutes, illam maximè mirabilem vitæ puritatem, summam illam corporis mentisque munditiem, quâ factum est, ut inter Terræ Angelos ab omnibus haberetur, quicumque eum noverunt; sic ut omnes Expeditionum ejus Socij profiteantur; singulari sibi fuisse solatio, videre hominem, habitu- dine corporis sanguinea, indole ad amorem propensissimâ, agere tot annis familiariter, quantum res poscebat, cum omni sorte hominum, cum feminis tam in urbibus, quàm ruri, & tamen tam ab omni labe se purum tueri, ut non solùm nulla unquam vel umbra maculæ illi adhæresceret, sed ut penitus ineptus videretur ad certas quasdam teneritudines, quibus ceteroquin etiam personæ DEO addictæ devotæque vivunt obnoxia. Unde necesse habemus fateri, DEUM non absque ingenti prodigio gratiam illam Patri fecisse, quam tribus illis in fornace Pueris, *Non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.* Rependantur igitur omnium bonorum Authori DEO laudes, cui fidelissimum Ministrum suum tot favoribus ac gratiis ornare placuit,

cuit, sicque illummet ad suam in cælo gloriam perducere, ubi ipsi integri Animarum ejus operâ servatarum exercitus gratulantur. Nec ego ambigo, quin tanto altiori illic loco confideat, quo inferiore se collocandum singulari animi modestiâ sibi persuaserat. Si porro doleret Lector, parcè nimis ac jejunè proposita fuisse merita viri toto Mundo tam æstimati, hanc, quæcunque est, culpam ipsi ante omnia P. Paulo adscribat, cui nihil perinde curæ fuit, quàm mortalium oculis se subducere, & eo, quo alii quicumque, numero haberi, quamvis ita longè supra reliquum vulgus esset: nec enim eum fugiebat, Magni illud Gregorij documentum: *Depradari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.*

O. A. M. D. G.



IN-